Nobilissimo Viro D. Constantino Hugenio
Eq: Zulichemi Domino C. Barlaeus S. P. D.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Duo petis, Hugeni Nobilissime,
Unum est, ut laesum Tesselae ocellum sinistrum ulciscar
heroicis diris. Alterum est, ut sententiam dicam de
controversiis inter Theologum Ultraiectinum et Nobilem
Gallum. Hoc posterius faciam, sed nondum. Nec enim
jam animus est de Formis substantialibus vel essentia=
libus contendere, postquam Regina mater et Filia publici
gaudij materiam omnibus praebent. Expectabo, tua pace,
usque dum successum videro finemque coeptae disputationis. Jam
Zephyri illam et Favonij afflant, mox, nisi male
calculum posui, Asper ab axe ruet Boreas. quantos
fluctus, quantas tempestates et Procellas praevideo. Co=
roebus est ~~imprimis ...~~, qui formas substantiales
negat, et Coroebus est, qui eas adstruit. quid futurum
censes, ubi incaluerit disputatio? Ego huius philosophici
Motus Quietem videre gestio. In miras sed Figuras
vertent antagonistae. nec eodem semper Situ erit
amborum patientia. Quantis interea qualibusque argutiis
sint oppugnaturi novi mirmillones, extra pugnam spectabo
quietus. Suave mari in magno &c. Obtigit Nobili
Cartesio adversarius non ignobilis, licet acer et inde=
fessus. qui si in thesin suam flectere non poterit
inferos, hoc est rationem humanam, tota ipsum
Theologia obruet et Atheismi tandem aut ἀδιαφορίας
~~isti~~ crimen impinget. non ut vincat, sed ut odijs
maleferiatorum obijciat candidè et nullius boni noxa
disputantem. Prius illud, quod Tesselam spectat, iam
feci, non heroicis, sed Iambicis diris. Praevidisti
egregiè, et risum mihi et Satrapae conjugi et
filiabus movisti, isto Divisionis sophismate. Ingenio=
sius est, quam ut latere Tesselam debeat, et librarijs
quam ut viduus viduae transmittere audeam. Audebo tamen,
sed addito malagmate. Epigrammata tua & illa
inserti scil. autoris avide legere. Non ero, mi

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 151
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2961

Hugeni, prolixior, dum Regina mater Filiaq. et carnivori
Britanni vos occupant. Di immortales, exclamet
Ergaſilus aliquis Hagienſis,

Quanta pernis peſtis veniet! quanta labes larido!
Quanta laniis laſſitudo!

Vale vir ſumme, et ſtricturas ingenii tui ſubinde
nobis imperti. Amstel. x Mart. CIƆIƆCXLII

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 151
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2961

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 151
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2961

Nobiliſsimo, Domino,
Conſtantino Hugenio
Eq. Zulichemi Domino &c.

amicũ

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 151
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2961